Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36552
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

284

de alio in alium transilire nolo. Primum quia tam frequens migratio
instabilis animi est coalescere ocio non potest nisi desiit circumspicere et
errare. Ut animum possis continere, primum corporis tui fugam siste.
Deinde plurimum remedia continuata proficiunt. Sinite desuescere oculos
vestros, sinite aures assuescere sanioribus verbis. Quidam adolescentem incor
ruptum et ingenuo vultu dicet fortunatiorem sibi videri quod omnia rerum
adversarum onera rigida cervice subtollat quam qui supra fortunam
extet. Non mirum est in tranquillitate non concuti. Illud mirare, ibi extol
li aliquem ubi omnes deprimuntur, ibi stare ubi omnes iacent. Memini sa
pientem ex duabus partibus esse compositum. Altera est irrationalis: hec mordetur,
uritur, dolet. Altera rationalis est. Quod queris a me liquebat mihi, sed diu
non retemptavi memoriam meam. Quod evenit libris situ coherentibus hoc
evenisse mihi sentio. Explicandus est animus et que cumque apud illum deposita
sunt subinde excuti debent ut parata sint quotiens usus exegerit. Hunc ergo
nisi succedunt occupationes nove serimus illas. Itaque ex una exeunt plu
res. Deinde ipsi nobis dilationem damus. Cum hoc peregero toto animo incum
bam, et si hanc rem molestam composuero studio me dabo. Non cum vacave
ris philosophandum est; omnia alia neglegenda ut huic assideamus cui nullum
tempus satis magnum est, etiam si a pueritia usque ad longissimos humani evi
terminos vita producitur. Non multum refert utrum omittas philosophiam an
intermittas. Hoc interest inter consummate sapientie virum et alium procedentis
quod inter sanum et ex morbo gravi ac diutino emergentem, cui sanitatis loco
est levior accessio. Vidisti aliquando canem missa a domino frusta panis
ac carnis aperto ore captantem? Quicquid excepit protinus integrum devorat
et semper ad spem venturi hiat. Idem evenit nobis: quicquid expectantibus
fortuna proicit, id sine ulla voluptate dimittimus statim, ad rapinam
alterius erecti et attoniti. Hoc sapienti non evenit. Plenus est; etiam si quid
obvenit secure excipit ac reponit. Leticia fruitur maxima continua